✠

AD. SS. D. N. PP. BENEDICTUM XIV.

PRO CATHOLICA CONCORDIA,

ET UNITATE.

HUMILIS DEPRECATIO.

SÆpe (Pastor Vigilantissime) *Ecclesiæ falsorum Dogmatum iacula superveniunt; & intrare desiderant : sed auxiliante Christo Domino , irruunt quidem , sed ingredi non possunt* , (super Nah. cap. 3.) Sic olim præsentiebat D. Hieronymus. Nescio , Pater, & Pastor Universalis Ecclesiastici Gregis ; an in præsentiarum, æquali eiulatu , intimoque cordis dolore profussis lacrymis, ad Aras vestræ Paternalis Clementiæ accedere compellamur ; ne irruentes schismatis discordiæ ingredi valeant. Non enim perfacilè autumare quis posset , periculosa tempora, dudum, iam, iam adventasse, ut Paternalem clementiam Summi Pastoris oves pascuæ ballantes requirant. Quid ergo ? Proferre non audeo : dicere erubesco. In inclita catholica Hispanica Natione, cui merito, in veneratione , reverentia , & debita subjectione ad Christum Domini in terris , adaptatum est illud : *Non feci taliter omni nationi* : irruentem conspicimus inverecundam audaciam contra Apostolicam authoritatem.

Irruit quidem infamatorius libellus , vere Anonimus. Fictitiè, verò sub hoc titulo : *Theses Norisianæ , in quibus damnata Jansenij , & Novatorum Dogmata , Magno adscribuntur Augustino : Ab Henrico Theologo impugnata. Duaci Typis Joannis Kerven anno* 1730. Hac inopinata tempestate irruente , & Hispanis irrepsit infaustissimum, & inopinatum tempus , inquo de debita subjectione Apostolico Throno dubitatur. (Expavescunt aures Hispanij Catholicissimi) Apostolica præcepta parvipe duntur : in materia morum, & doctrinæ , varijs simulationibus ab Anonimo irridentur : De unitate Ecclesiæ, licet fictis ambagibus non bene sentitur. Supremum Ecclesiæ Caput , & Regula visibilis fidei publicè contemnitur. Quidquid Regula visibilis statuat , aut dicat : contrarium tamen infrunito animo palàm traditur , etsi retracta manu. Hinc sparsus prævalet rumor illaqueans , ac perturbans plurimorum animos : qui stupefacti exclamant : Quomodo igitur intelligere debemus, quod in symbolo addiscimus: *Unam sanctam Catholicam Ecclesiam* ? Quando hæc in auribus insonuerunt Catholici Regni ? Quid nam disputatur , si *Dominus est locutus* ? Oblatrationes audimus. Adversus Apostolicam authoritatem publicæ theses , & assertiones non sine audatia in lucem exhibentur. *Sumus ne Anglicani* ? Proclamant multi. Hisce similia , parvulorum animos tenent anxios , piorum corda præmunt , & cordatorum , qui malignantium consilia norunt, tolerantiam exercent, spe fidentes de oportuno & salubri remedio tot gliscentibus malis.

Factum non omnino absconditum Sanctitati Vestræ scimus. At *Cum quiescere oporteret* audita Supremi Oraculi voce , *Decertare voluerunt*. Postquam à Generali D. Augustini, de his , quæ gesta sunt erga opera Cardinalis Norisij notitia fuit exhibita , & Sanctitas vestra providit , quod aqua salutaris prepararetur ad extinguendum

excitatum ignem : Ignem voracem ignibus addidit Accusator, scriptis, falsis imposturis : & tenaci resistentia : sibi malignè suadens, ut apposito hoc venenoso pharmaco, nec in minimo executioni esse tradendum salubre, & Apostolicum præceptum, nec Paternalem, & Apostolicam admonitionem effectum sortiri posse : ut deteriora mala non pullularent in dies. Verum ita evenisse factum huius Anonimi demonstrat : immemor Apostolicæ Sententiæ : *Qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Apud prudentes & vere pios (judicium Summi Capitis desiderantes) hæc tenacitas, & resistentia Supremo Capiti Schisma proclamatur : seriò autumantes, graviores hinc oriri perturbationes, usque dum efficax anthidotum à vestra Paternali cura adhibeatur: cum à SS. PP. & à Concilijs edocti simus, quomodo schisma virulenta damna difundat : Asserente D. Thoma „ *quod schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ eidem subjectis communicare recusant* (2. 2. q. 3. art. 1.)

Verius existimant, iam schisma prævaluisse : videntes post triplicem uniformem sententiam, quæ rem facit in suo robore firmam, à Summis Pontificibus approbatam in contradictorio judicio, à feliciter Regnante Pontifice commendatam, & explicatam, & ut ratam haberi præcipiente : & adhuc insistere protervum Accusatorem : *Nollo subesse Summo Pontifici.* Quid mirum ut ita judicent ! Cum amplius desiderari non possit adsimilem proterviam explicandam. Quid ergo ad eam eliminandam ? Quod pie & fideliter speramus, ut Apostolico fulmine retundatur, ad solatium & quietem Hispanij Catholicismi.

Confestim enim apparet (Papa Sanctissime) dum tot fictiones infligere intendit Cardinali Norisio, ipsum inter Hæreticos adscribendum conari. Verificari vult (ut satis videtur perspicuum) illam D. Hieronymi sententiam : *Nullum est schisma, quod non sibi aliquam confingat hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* (super Epist. ad Tit. cap. 3. ad illud : Hæreticum Hominem, &c.) Ad quid ergo calumnia huius Accusatoris contra Norisium Notum facillimè potest esse omnibus : nempe, ut Sanctitatis Vestræ obedientiam, iacta remora suæ perversitatis, impediat : Et dum Norisium tanquam Hæreticum impingit, ipse, quod iam à Supremo S. Romanæ Ecclesiæ Tribunali Inquisitionis est judicatum, & approbatum, & à vestra Sapientissima Providentia explicatum ; audacter, falso, & cum improperio impugnet. Et hoc intendit esse Dogma Catholicum ; secus quæ Romana tenet Ecclesia. Ob id præfatum opusculum garriens in Norisium, nescimus an præcipue in Apostolicam Sedem pharetram suæ malignitatis dirigat. In præsentiarum eventu, satis ostendit, sibi configere Hæresim, illam attribuens Norisio, ut ille non subeat Apostolicum judicium.

Ne nimiam inferam Sanctitati Vestræ molestiam, paucis venerabundus ante rectissimum & supereminens rectitudinis vestræ examen, falsitates evidentes, quas continet præfatum scriptum Anonimum exponam : Quamvis certius firmi simus, accuratius à Vestra Sanctitate inspiciendum, quam à nostra tarditate humiliter proponendum. Etenim ut veris loquamur factis præfatum opusculum ad Vestram Sanctitatem iam transmiti curavimus. Hoc unum præoculis habentes pro nostra tenuitate, reverenter subjecti Apostolico judicio, quod ab ipso, & in virga Regnantis Potestatis Vestræ, æquitatem & justitiam pro desiderata concordia speramus. Proferentes cum D. August. *in diversitate sententiarum, veram concordiam parit veritas.* (lib. 12. de lib. Arb. cap. 30.) Hanc tota animi sinceritate unice exponimus Sanctitati Vestræ.

Primo igitur Incognitus Accusator infremit Norisium accusans, quod Quesnellij ingenium aliqua laude sit prosecutus : & Quesnelius Norisio mutua vice rependerit : Quid absurdius ! Hinc fieret SS. Patres laudantes accumen ingenij aliquorum Hæreticorum, & Philosophorum Gentilium, adnumerandos fore inter Hæreticos, & Gentiles. Et quod deterius est, si hæc persuasio Accusatoris tenet : Sanctitatem Vestram hac calumnia etiam in pingere velle : dum pro sua benignitate, Norisium, & eius ingenium honoribus, & laudibus cummulat : Nam dum iste, impudentissimus Homo, Norisium vult ad cladem Hæreticorum introducere, & Vestram Sanctitatem de-

ſuſpitione Hæreſis inverecunde infligit; quia cum Noriſium, maligno ſpiritu, proclamat Hæreticum videtur inferre præciſe, Sedem Apoſtolicam partes agere Hæretici Hominis.

Exultans, & gaudens ait: Multos Authores infeſſos fuiſſe à principiò Noriſio. Hoc magnipendit. Verum ſi de hoc intendit reportare triumphum: Notum eſt Sanctitati Veſtræ: Quot inimicos ſubſtinuere ab exordio pleroſque SS PP adverſus eorum clariſsimam Doctrinam, & inter ipſos Aug. qui innumeros toleravit inſultantes ſuæ Solidiſsimæ Sapientiæ. Quot etiam inſultaverunt D. Hieronymo, adeo ut inter alia plurima compulſus ſit exclamare: *Nunc autem, quia juxta ſententiam Salvatoris volo operari cibum, qui non perit & antiquam voluminum viam ſentibus, virgultiſque purgare, error mihi geminus infligitur: corrector vitiorum falſarius dicor, & errores non auferre, ſed ſerere.* (Præf. 2. in Job.) Hæc (Beatiſsime Pater) eſt cauſa, & culpa Noriſij: Antiquorum voluminum, & præcipue D. Aug. doctrinam purgare. Hinc etiam geminatus ipſi error infligitur: ut falſarius accuſatur: ex quod falſo pro ſe, & pro ſua doctrina Aug. adducat: & quod errores non aufert, ſed ſeminat, ut in toto diſcurſu Libelij intendit ſuadere Accuſator. Aſt vere tota culpa Noriſij in eo ſita eſt, ut Aug. doctrinam pro viribus intendat vindicare, caneſque contra eam oblatrantes manifeſtare: dum Sedes Apoſtolica & Concilia Aug. miris laudibus extollunt. O ſi qui ſimilia in Aug. evomunt frendentibus dentibus ſuis, Veſtra Apoſtolica Authoritate è libris pungerentur, ne tam injurioſa dicteria in illis apparerent adverſus clariſsimum Eccleſiæ Lumen!

Præſens eventus quot incommoda ex preiactis dicterijs oriantur, ſatis manifeſtat. Audaces convaleſcunt, nec PP. nec Apoſtolicam Authoritatem verentur: qualiter facit hic quidam homo ignotus, qui loquente Oraculo Eccleſiæ audet ſimiles exarare impoſturas, & falſitates defendere. Quid amplius inſultantes Calvinus, & Luterus adverſus Sanctam Sedem fecerunt? Loquatur Luterus dicens: *Pontificis vocem audiendam eſſe, quæ conſona ſit Scripturæ; atque in materia fidei non modò Generale Concilium eſſe ſupra Papam, ſed etiam, quemlibet fidelem ſi melioribus utatur authoritatibus, & ratione.* (Hiſt. Conc. Trident. in vit Lut. à P. Bail) Quid minus, ne dicam abſurdius facit mordicus Accuſator? Nedum facto contra Papam, Concilium prævalere conatur; verum non obſtantibus Apoſtolicis ſententijs, & authoritatibus, qui ipſi innoteſcunt: Ipſemet quilivet ipſe ſit (neſcio an Fidelis) ſibi videtur melioribus uti rationibus, & authoritatibus: Adeo fidenter ut audaciam ſuam contra Apoſtolicam authoritatem per univerſum intendat diffundere Orbem: Cum ut ferunt (quid certum ſit ignoro) ſexmillia exemplaria ſui Anonimi Opuſculi excuſſerit: ut dum ibi ſonat Noriſium adulatorio ſermone decepiſſe Romanos Pontifices, Principes, & Judices, cum illis foret valde gratus: Romanos Pontifices, Principes, & Judices denigret: Qui Homini errores ſeminanti ſe favorabiles exhibuerunt.

Hæc audacia (Beatiſsime Pater) tantum nititur fallacijs, quas Noriſio impingit iſte deteſtabilis homo, ut ſatis notum erit Sanctitati Veſtræ ex diplomate præfato libellò, in quo inter alia plurima falſo dicit: Noriſium aſſerere: *Deum non velle Omnes homines ſalvos fieri*; ſimulque affirmare. *Deum impoſsibilia præcipere: Liberumque periiſſe arbitrium hominis per peccatum originale*: & alia huiuſmodi, à quibus omnibus ut ab impoſturis, vere falſis eſt purgatus, & defenſus à ſemetipſo & ab aliis. Et confutatio harum falſitatum, quas de novo producit Accuſator, ſimulque earum defenſio, in promptu eſt, verum lucem non aſpicient, uſque dum placitum ſit Sanctitati Veſtræ. Nam iſte malignus Accuſator nihil aliud facit, niſi *Actum agere* malignantium, & æmulantium Noriſio, ſimulque inimicorum D. Aug. & Apoſtolicæ Sedis. Unde iſti homines hallucinati, ne dicam, maligni æmuli D. Aug. Noriſij, & in præſenti Apoſtolicæ Sedis, ob id, hallucinantur, quia Noriſium vel malitioſè, vel ſuperficietenus percurrunt, ut in ipſo Noriſio aperte traditur: in Reſponſionibus Germanitatum, ubi ſic habetur: *Sciò pleroſque Noriſij librum evolvere negligentes, impoſturas mendacijs Paralelistæ manu propinatas ſorbuiſſe, eidem ex aſſe fidem præſtantes, nec defuere viri alias non indocti, qui eidem occinuerint.* Hæc in Noriſio, quæ forte Accuſator non aſpexit: Attamen ſive viderit, ſive non: *Hoc deteſtabili facto frontem*

tem ac conscientiam, immo Dei, hominumque timorem seposuisse monstrat: ut iam olim præfatum est de simili æmulo Cardinalis Norisij.

Conqueritur hic rebellis, & protervus Accusator: Quesnellium phanatico insultasse spiritu adversus Consultores Theologos Supremæ Romanæ Inquisitionis, & adversus Eminentissimos Cardinales, & adversus Regiam, & Pontificiam Authoritatem. Verum fatetur: sed ipsemet in eandem incidit ic, llam, ut suo scripto aperte demonstrat, uti insinuatum est: Rescriptum Sanctitatis Vestræ conculcans, & supra illud incedens, immemorque moniti Apostolici, quasi non Petrus, sed insensibilis Petra fuisset locuta; verè ipse contemnens Ecclesiæ Solidissimam Petram. Contra illam, & cum illius abjectione, quasi firmissimum Propugnaculum se objicit, ut Romani & Apostolici Imperij iussa parvipendat: Quasi sibi ipsi datum sit dogmaticè res fidei determinare, diffinire, & authenticè interpretari. Et hoc ideo, ut quæ salubriter sunt insinuata, ne ignis devorans in corda fidelium ultrices flammas emittat: Præfatus Anonimus, igneo spiritu, & inobedientia pari, dum Apostolicam Authoritatem in minutas redigere conatur favillas, maiora excitaret incendia; quasi hæc causa sibi ut arbitro Judici esset commissa; ipseque minime subjaceret Apostolico Judicio. Certe *Abominabilis factus est in studijs suis* dicens facto: *non est Deus, qui Caput Ecclesiæ visibile dirigat & gubernet.* Sanctitas Vestra melius & rectius ex factis & scriptis in his temporum angustijs luce clara deteget.

Non igitur, (Domine Sanctissime) non inquam, causam agimus Cardinalis Norisij: Si ergo ab Ecclesia respuatur eius Doctrina, libentissimè illam respuimus. Si anathemate prohibeatur, anathematizamus: Si Ecclesia damnaverit, ex corde damnamus: Edocti ab Apostolo ut cum Ecclesia proferamus: *Si quis Evangelizaverit præter id, quod Evangelizatum est, anathema sit*: Et cum D. Aug. dicente: *Ego Evangelium non crederem, nisi Ecclesiæ commendaret authoritas.* Verum satis perspicuè Sanctitas Vestra conijciet: ludibria contra Augustinum exarata, quæ in Vindicijs Norisij, ut omnibus inotescant, manifestantur, anxietatem dedisse, ut Norisius acriter impugnetur.

Agnoscant (Venerande Pater fidei) invictum robur Apostolici pectoris ad coercendas fallaces, & audaces inobedientias. Frivola sunt quæ in medium afferre potest Accusator, ac prætexere, nempe: Monitum Apostolicum fuisse privatum, non publicum Decretum omnibus intimatum. Cæterum hæc effugia sunt ad excusandas excusationes in suæ protervæ inobedientiæ peccato; dum satis constat in materia, præcipue, doctrinæ, de mente, præcepto, & explicatione infallibilis, & visibilis Regulæ. Nonne ea, quæ Christus D. secretò dixit & commisit Apostolis, sunt contemnenda, & non sunt executioni fideliter tradenda, quando in notiam venerunt? Nullus id asseverare catholicè poterit. Quare ergo sic de his, quæ præcipit Christus Domini in terris? Forte non acquiescent, tentantes emolliri rectissimum, & validissimum cor Sanctitatis Vestræ, demulcentes falsis imposturis aures hominum, ut similia ad aures Vestræ Celsitudinis pervenire queant. Publice asseritur: Augustinienses Eruditissimam, & Venerandam Apostolicam Epistolam directam ad Generalem Inquisitorem Hispaniæ (quem immunem à culpa omnes fatemur) cum ipsi sub onere conscientiæ assertum fuerit, teneri exequi, quod Sanctitas Vestra non ignorat: Nec mirum, cum ut ex Norisio iam constat, plerique, etiam non indocti profundissimam Doctrinam Norisij transcursim legant, & ut ab eius Æmulis propinatam exhibeant) sparsisse, in variaque idiomata transtulisse: & alia plurima, & hoc ideo, ut animum Vestræ Sanctitatis emolliri contendan, licet in vanum.

Pater Sanctissime, factum Augustiniensium non ignoro, & absque ullo remorsu, testificor coram Sanctitate Vestra, & Angelis Dei, quod quando Epistola Apostolica in Augustiniensium venit notitiam, iam in tota Curia Matritensi erat pervulgata. Nonne Augustinienses inficere valent in eo, quod libellum infamatorium contra Norisium, & Apostolicam Authoritatem divulgarunt? Minime hoc asseveranter dicent. Epistolam etiam rescriptam ad Vestram Sanctitatem ab Illustrissimo Inquisitore Generali, larino, & hispanico stylo vulgatam, Augustinienses notam Omnibus fecerunt, à Maximo usque ad minimum? Nec hoc existimare aliquis prudenter valet. Quis ergo has texuerit fictiones, nescimus. Quisquis ille sit *Inimicus homo fecit.* Si hac suasione ut non

 præs-

præstetur debita reverentia & obedientia Apostolicis Præceptis : merito inter Hæreticos computandus. Si ut fraternam charitatem & unitatem membrorum Ecclesiæ Catholicæ dilaniet : Schismaticum semetipsum prodit, ut in simili eventu docet D. Aug. dicens : *Origo & pertinacia schismatis, nulla est alia, nisi odium fraternum.* (Leb. de Bapt. cont. Donat. cap. 11.) Quare schisma, ut melius norit Vestra Eruditissima, & Sapientissima Celsitudo, rebellesq; & inobedientes parit, superbosque manifestat. Asseveranter dicit D. Aug. *Mater pestilens schismatum supervia est, eiusque crudelissimæ filiæ invidia, & vanagloria.* (Adv. præsumpt. Manich. cap. 38.)

De his omnibus præter iam manifestam inobedientiam, veridica testimonia, & facta Sanctitatem Vestram certiorem reddent. Non inquam (Pater Patrum) intendo ut mihi assensus in minimo præbeatur, sed teneat, id quod ex veridicis testimonijs, & factis constet. Tantum hæc diriguntur, ut Pastorali vigilantia vestra, visa manifesta inobedientia, pro sua benignitate quam citius providere dignetur, ut tot discordiarum incendia salubris Apostolicæ Doctrinæ rivulis extinguantur : & ut superbus scriptor Anonimus reproducens contra apertam mentem Apostolicam, sciat reverentiam, & obsequium debitum præstare supremo Militantis Ecclesiæ Capiti.

Hoc facto, ipse, & alij convincentur: non debere censurijs ofuscare sententias & opiniones Catholicorum DD. Et quod in nullius alterius, est potestate, sine temeritate, damnare, aut censurijs Theologicis impingere doctrinam catholicorum, præter id, quod à Sacra Sede vel à Concilijs fuerit explossum, vel damnatum : ut Sanctitas Vestra in promptu habet. Vetant hoc Concilia, & relatè ad illa, Tridentinum : Pontifices pasim hoc prohibent : & nihilominus Author libelli censorij, Norisium Quesnellismi labe & hæresi declarat infectum, Jansenismi obcæcatum errore, Bajanismi manifestum sectatorem, Lutero, & Calvino non inferiorem Hæreticum : ut hoc suadeat, abutitur Norisij verbis, absque fideli, & ordinata verborum expsesione : mutilata, mendosa, & corrupta inducens verba; omittit vera, & supresa reponit, quæ accuratissimo, & indefesso studio, ab æmulantium mendacijs, sunt vindicata, & exactissimo prævio, & maturo examine, ad utilitatem, clara luce prodierunt. Audax hoc figmentum in Norisium, audacius ostenditur, Ecclesia contrarium reclamante. O quomodo oblivioni tradidit illam ponderosam D. Bonavent. sententiam & catholicam veritatem : *Unus est Pater Patrum, qui Papa merito appellatur, tanquam unus primus, & Summus Pater spiritualis omnum Patrum imò omnium fidelium, & Hierarcha præcipuus, sponsus unicus, caput indivissum, Pontifex Summus, Christi Vicarius, Fons, & Origo, Regula cunctorum Principum Ecclesiasticorum.* (in Breviloq. part. 6. cap. 12.)

Agnoscat, licet invitus, hic ignotus Accusator, qui loquente Ecclesiæ Petra, spumans frendet calamo suo, se evaginasse gladium adversus *Pontificem Summum, dignitate Aaron, authoritate Moysem, judicatu Samuelem, potestate Petrum, untione Christum*, ut D. Bernard. affatur. Interim (Beatissime Pater) benigne fac, ut hanc tantilli indigni filij audaciam non reprehendas: *Zelus enim Domus tuæ*, quæ est Ecclesia Catholica, *comedit me.* Non indigne feras me parvulum venire ad te, ut hac brevi facta veridica expositione: Tu (Venerande Pater) in his temporum angustijs in specula Ecclesiæ colocatus, veritate opportunijs vijs comperta, ostendas te incredulis, & rebellibus invictum : in his & omnibus agnoscant rectitudinem tuam. Ostende igitur (Pater Sancte) in auxiliando solicitudinem, in repellendis superbis rigidam severitatem, prænoscant humiles benignitatem tuam, & obstinati inflexibilem fortitudinem tuam.

Columba dirigit gressus tuos, ut nulla adversariorum jacula unitati Ecclesiæ nocumentum valeant inferre. Verba D. Aug. in ferè identico facto, Vestræ Sanctitati pro coronide huius qualiscumque scripti subicio : *Quæ autem illi dicunt, ideo falsa esse convincuntur, quia ipsis temporibus cum eadem quæstio*

ver-

versaretur, obtinere causam suam minimè potuerunt: Maior in eis apparet sacrilegæ animositatis furor, & animarum innocentium persecutio, quam si solo schismatis crimine tenerentur. (Lib. de Unit. Eccles. cap. 1.) Vestræ Sanctitatis, & Summæ Potestatis est, omnia judicare; sicuti, si quæ in hoc breviloquio exciderint, corrigere suprema Vestra Sapientia. Iamque summo mihi dedecori esse puto, enixe præcare Sanctitatem Vestram, ut hisce fallacijs, & mendacijs manum apponat. Verum (Beatissime Pater) parce præcanti, etsi rusticano stylo, pro Ecclesiæ honore, & unitate, & vestra incolumitate. Matriti die 22. Novembris ann. 1748.

SS. P.P.

Pedes Sanctitatis Vestræ humiliter osculatur

A. O. R.

E. P. O. S. A.